

obsequii argumentum Pontifici exhiberetur, tandem hisce dis-
fidiis modum imponi omni studio Regem enixurum.

Nuntius, ut Venetum legatum a regio sacello excluderet,
omnes ingenii nervos intendebat. Duodecim ob eam causam
theologicæ facultatis professores coguntur. Prima die con-
gressus ex eorum numero aliquot Reipublicæ causam tueban-
tur, major pars Pontifici favebat; postero in eorum senten-
tiam reliqui concessere, excludendumque legatum censuere.
At Rex, nihil sibi decernendum ratus; festis divi Joannis
ac Petri diebus, a sacris publicis se abstinens, ad Escuria-
lem est profectus. Cum primum de literis a Philippo ad
Paulum conscriptis Neapolim est allatum, Prorex, Inter-
nuntius, Sanctacrucius secreto conveniunt. Ut classis statim
emmittatur, decernitur: octo ac viginti triremes apprime
instructæ, tria Hispanorum peditum millia, trimestres com-
meatus, pecuniæ, tormentorum ceterorumque id genus in-
gens copia recenscebatur. Italogum Principum triremes secu-
turas ferebatur; Pontificis quatuor, totidem Melitenium,
Genuensium sexdecim, Auriæ duodecim, Sabaudi duas,
Hetruscas quatuor, ut in universum summam septuaginta
conficerent. His ab Augustino Dulcio, Senatus scriba, cogni-
tis, Senatus consulto Jacobo Justiniano, classis legato, præ-
cipitur, ut, triremibus duabus Corcyræ relictis, quæ Philippi
Paschalici, legati, imperio subessent, cum reliquis in Hadria-
ticum sinum se reciperet. Joannes Baptista Contarenius, Illy-
rici atque Epiri legatus, classem conscendere, eique cum sum-
mo imperio præesse iussus. Ad eam augendam, ut tres majores
triemes armarentur, latum; præfectus Laurentius Vene-
rius est lectus; bini gurbanatores creati Justus Antonius Bel-
lenius, Marcus Antonius Baduarius. De Helvetiorum quo-
que numero evocando, in id Fraxineo, Henrici legato, ope-
ram pollicente, agitatum. Quindecim aureorum millia ad
Antonium Mariam Vincentium in Rhætos transmissa, ut ex
foedere, pecunia accepta, præfectos ac milites, si ita res
exposcerent, in promptu haberent. Quoniam vero ad Fla-
minia ac Piceni litora tuenda copias conscribi, Ferrariæ
magnam militum vim cogi nuntiabatur, Rhodigium binæ
militum cohortes, quæ Constantio Capriolo, Brixienfi, cui op-
pidi

*Hispano-
rum decre-
tum de Ve-
neto oratore
a sacro sa-
cello exclu-
dendo.*

*Pontifi-
cium &
Hispano-
rum decre-
tum de clas-
se emitti-
tenda.*

*Joannes
Baptista
Contare-
nius, lega-
tus, classem
conscendit.
Senatus
decretum de
Helvetiis
& pecuniis
in Rhætos
mittendis.*